

Franckesche Stiftungen zu Halle

De Summa Ac Idea Theologiae Moralis

Meurer, Johann Christoph

Stendaliæ, Literis Joahnnis am Ende., MDCCXXVII.

VD18 13484125

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-214638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-214638)

JUVANTE CHRISTO!
DE
SUMMA AC IDEA
THEOLOGICÆ
MORALIS,
EPISTOLÆ AD TITUM
PAULINÆ

C. II, II, 12, sqq.
ὡς ἐν συνέψει delineata,
paucis differit;
& denuo

PRÆLECTIONES BIBLICO - THEOLOGICAS
hora X. Die Jovis
PER SINGULAS SEPTIMANAS
PUBLICE
IN TEMPLO CATHEDRALI
continuandas indicit

D. JO. CHR. MEURERUS, Superinten-
dens Marchiæ Vet. Brandenb. & Prignitiæ Generalis,
Inspector Stendaliensis ac Pastor ibidem Primarius.

STENDALIÆ, Literis Johannis am Ende.
CICIDCGXXVII.

2

77

P. 5. l. 13. EATTON. l. 20. *εργον*,
P. 4. l. 16. leg. Stabiliat, P. 6. l. 13. prolixissimo.
P. 7. l. ult. J. F.



182 K 77

VERITAS & PIETAS indivulso cohærent nexu: Illa fidei genitrix ac nutrix, quæ, si vera ac viva, pietatis est cultrix & custos. Absque fide nulla vera pietas, sed superstitio, hypocrisis, vana professio veritatis, aut profana vitæ morumque scena, licentia Libertina, Epicurea, ac *ἄθεος*.

Pietas sine vera fide, ex doctrina *θεοπνέτω* hausta, ficta ac picta, exanimis, umbratica, nulla.

Fides sine pietate mortua, cadaver, *βδέλυγμα*, Deo abominanda, *ἀδόκιμος*, reproba, Diaboli confors, Cœli exfors.

Nulla veritatis divinæ Particula, quæ non sanctitatem generet ac foveat. Mysterium omne divinum veritatis est mysterium pietatis generativum, incentivum, nutritivum, conservativum. Ipse CHRISTUS, *ἡ ἐλπίς νόμος*, ad Rom. X, 4. in quo omnes *ἐπαγγελίαι* *θεῶν τὸ ναὶ καὶ τὸ ἀμὴν*, 2. ad Cor. I, 20. est credentibus non *σοφία* tantum καὶ *δικαιοσύνη*, sed etiam *ἀγίασμός* καὶ *ἀπολύτρωσις* junctim. 1. ad Cor. I, 30.

Misere solvendo corrumpit & destruit, *φθίρει τὸν ναὸν* *τῷ θεῷ*, 1. ad Cor. III, 17. qui separat ac divellit intime sibi nexa & conjuncta.

Huc nos *παράδουε χάρις*, id postulat scopus religionis ac indoles veritatis practicæ.

Articuli doctrinæ fidei quomodo ad pietatem ducant, alibi ostensum est, nimirum ut *ἐπίγνωσις ἀληθείας* sit κατ' *εὐσέβειαν*, ad Titum I, 1. Jam ad ipsam *ἐξόχως* pietatem demonstrandam sigillatim oculos animumque intendamus.

Finis igitur THEOLOGIÆ, vulgo MORALIS dictæ, est veræ fidei demonstratio ac gloriæ divinæ manifestatio, Matth. V, 15, 16.

Ipse scilicet DEUS, ceu Pater reconciliati per Filium, JESUM CHRISTUM, peccatoris, jam regeniti, veraque
)(fide

fide imbuti, (atque hinc *ύιοθεσία* ex mera gratia donati, in diesque purgandi ac instaurandi per Spiritum sanctum, Scripturæ sacræ opera, ut totus sit ad gloriam DEI, in illiusque unione tandem triumphet,) supremus scopus ac *τέλος* est.

Hinc, etsi *ἡ χάρις* *τῷ Θεῷ* *ἡ σωτήριος* omnibus hominibus illucescat, (*ἐπιφάνη*) evangelii per Scripturam manifestati prædicatione, ac singulorum salutem intendat, solos tamen eos *παιδεύει*, ac filiorum instar docet, ducit, instruit, qui vera fide ac *ἐπιγνώσει* *τῆς ἀληθείας* ex ea præditi, cujuscunque demum fortis, ordinis, gentis, ætatis, sexus sint, in statu gratiæ constituti, adeoque ex vera regeneratione, *ἀνωθεν* facta, filii DEI sunt.

Non igitur est, ut homines, utpote filios iræ, (ad Ephes. II, 3.) quales sunt *φύσει* OMNES : sive nulla, ut EXTRA ECCLESIAM Ethnici, Judæi *ἄπιοι*, Mohammedani, alique idololatræ, Athei ; & in ECCLESIA, ut nondum regniti, aut e statu regenerationis prolapsi, sive securi, sive falsa fictaque fide præditi, hoc est, hypocritica confessione externa, sine interna convictione vivaque *ἐπιγνώσει*, CHRISTUM nominantes ac profitentes ; *ἰκανῶς* Theologiæ moralis, adeoque Sanctimonix Christianæ, auditores ac discipulos veros agnoscamus, qui scilicet *παιδείας* hujus non sunt capaces, aut ad eam habiles.

Sola vero est Gratia, (non Natura, ejusque lumen huc non pertingens, ne humana quæcunque *παιδεία*, Philosophica aliaque,) quæ principii nomen tueri ac mereri, officiumque præstare & potest & debet.

Inde *ἡ χάρις* *τῷ Θεῷ* *ἡ σωτήριος* dicta, salutem scilicet incipiens ac produciens, efficiens ac perficiens. Adeoque a DEO omnis salus, ex Gratia omnis salus ; quæ non occultatur, sed manifestatur, non obscure proponitur ac repræsentatur, sed illustri *ἐπιφάνειᾳ* offertur, suggeritur, non paucis, sed *πᾶσιν ἀνθρώποις*. Hæc

Hæc gratia fundata est in JESU CHRISTO, ἡ μεγάλη
 Θεοῦ καὶ σωτηρία, ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα λυτρώσῃαι ἡμᾶς ἀπὸ
 πάσης ἀνομίας, καὶ καθάρσῃ, adeoque ejus merito, h. e. λυτρώσει
 καὶ καθαρισμῷ, quo & ἱλασμός, sive satisfactio pro pecca-
 tis, & vis ac fructus omnis ejus intelligitur.

Ille ut verus, summus, æternus DEUS; ita verus
 homo, adeoque θεάνθρωπος, est, ut officio huic ἱκανὸς & omni
 ex parte sufficiens sit:

Non tantum in statu κενώσεως antè, (ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ
 ἡμῶν,) sed & jam ὑπερυψώσεως, cujus ἐπιφάνειαν ἡς δόξης ex-
 pectamus, constitutus; Et quidem catholicus Σωτὴρ atque
 Μεσσην, non tantum secundum humanam, verum etiam di-
 vinam naturam. (ἔδωκεν ἑαυτὸν.)

Ut parta hæc salus, ejus δώσει, patefieret, ac innotesce-
 ret; ἐπιφάνη, id est, illustri ratione manifestata est per ver-
 bi scripti prædicationem, quod unicum, verum, sufficiens,
 efficax, cum adjunctis gratiæ sigillis, est medium illumina-
 tionis, regenerationis, conversionis, renovationis seu
 sanctificationis purgationisque, omnisque fidei ac vitæ
 christianæ seu καλῶν ἔργων, tandemque glorificationis.

Hinc gratia παιδεύουσα, seu applicatrix, per Verbum &
 Sigilla gratiæ docens, signans ac confirmans verum hunc
 ordinem salutis in acquisitione & applicatione, per suos
 veluti actus & gradus dispensat, modumque insinuat, ut
 nimirum homo vera in hunc λυτρωτὴν fide justificatus, & ab
 omni ἀνομία liberatus, purgatus, purgandusque porro, ab-
 jecta & ejurata veluti ἀσεβεία, καὶ κοσμικαῖς ἐπιθυμίαις missis,
 abdicatisque, digne ac conformiter illi ἐπιφάνειā ac παιδείā gra-
 tiosæ sese gerat, hoc est, postquam luce divinæ gratiæ col-
 lustratus, de tanta salute informatus veraque fide imbutus
 est, officium, quod tantam salutem adeptum & suscipien-
 tem decet, sancte observet.

Quod

Quod ipsum officium, (seu malis officia,) ejusque summa ac partes respectu diverso erga Deum, se, alios continetur ac absolvitur.

Adversus DEUM præscribitur PIETAS, (*ἵνα εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ κυν ἀγαπῶν*), veram fiduciam, sinceri cultus ducem ac usque comitem agnoscens; Adversus SE, CASTITAS, (*σωφρόνως*), omnem & mentis pariter animique moderationem atque omnigenam quorumcunque affectuum sensuumque ac moruum actionumque prudentem temperantiam castamque modestiam involvens; Adversus alios JUSTITIA, (*δικαίως*), justitiam amoremque insinuans omnibus ac singulis æque tribuendum.

Quorum officiorum & generatim & speciatim normam DECALOGUM agnoscimus, cujus summa PIE, CASTE, JUSTE agendam hominis Christiani vitam docet ac dirigit, ita, ut gratia in homine regenito jam imperium adepta, certa veraque ratione legem stabilat, ac restituat, hominem ad ejus typum instaurando.

Id quod qua singula præcepta fit ac perficitur veterem ex Adamo indolem abnegando, crucifigendo, abolendo; quò vetita & vitanda interna pariter atque externa: nec non novam in CHRISTO, DEO & SERVATORE nostro, ex illius redemptione & sanctificatione seu purgatione ortam concessamque vitæ spiritualis rationem interiorem pariter atque exterioriorem admittendo, servando, magis magisque augendo; quò agenda quæ singula spectant præcepta: quæ utrinque sapientissime ac divinissime ad Tit.c. II, 2. nobis insinuantur, quando de divina sospitatrice ac doctrice ductriceque Gratia PAULUS instituit, illam *παρδύσει*, seu docere ac ducere, *ἵνα ἀγνοούμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας*, ut devitatis, ejeclisque, quin imo negatis ac ejuratis veluti, omnibus, quæ *ἀσέβειας* nomine venire possunt, h.e. contra Tabulam Legis divinæ primam quacunque ratione pugnant aut impingunt;

gunt; Itemque devitatis, dimissis, atque ex animo evulsis evellendisque in dies τὰς κοσμικαῖς ἐπιθυμίαις h. e. omnibus, quæ secunda in legis Tabula prohibentur, malis vitiisque, quæ singulis præceptis sunt contraria, (quod AUGUSTINO est mori huic seculo) erga DEUM PIE, adversus nos CASTE, alios JUSTE vivamus, sentiamus, agamusque.

Quæ officia si evolvantur recte iusteque, omnem ambitum modumque ac species sinceras virtutum sectandarum fugiendorumque vitiorum, nec non curatissimam vitæ Christianæ nobis ideam exhibent; inprimis, si Decalogus, ceu divinæ Legis nostrorumque officiorum summarium, ex utriusque Scripturæ Tabulis earūque exemplis ac præceptis illustretur.

Hic certe, uti singuli homines suam inveniunt normam, virtutumque παιδείαν pro se habent; Ita universim in societate Christiana seu Ecclesia & Regno Christi viventes, ceu λαὸς περιύσιος, ζηλωτὴς καλῶν ἔργων, officium suum discent, non, ut noscant tantum, ac disceptent, sed & ut faciant, ac vivant, non inutili ac subtili virtutum divisioni operam vanam locantes, sed illius praxilantes.

Species virtutū præterea nec multiplicandæ, nec minuendæ; non Aristotelico ductu, sed Scripturæ luce prævia tractandæ.

Triga hæc: FIDES, CHARITAS, SPES, ut ab APOSTOLO ad Titum c. II, 12, 13. maxime commendatur; ita intime fovenda ac observanda est.

Quod beatus AUGUSTINUS de unitate virtutis docuit, id vel maxime in divinæ virtutis studio locum habebit & usum.

Immanis inter virtutes Ethnicorum, sic dictas, & Christianorum differentia est, nec non inter speciosas irrogenitorum ac hypocritarum actiones & verorum Christianorum bona opera, Vid. B. SPENERI Tract. von Natur und Gnade / it. Summe Ven: D. P. ANTONII Tract. de Natura & Gratia &c.

Quæ deinceps in TRIPlici hierarchia, sic vulgo nominata,

sigillatim officia præstanda sint, ex his facile colligi deducique potest, & ductu Tabulæ æconomicae in Catechismi fine delineatæ, uberius explicari debet. De quibus in prælectionibus Theologiæ moralis ubertim differemus, ex epistola ad titum integra Theologiam moralem docturi expositurique.

Quem in finem etiam B. D. J. L. HARTMANNI Theologiam moralem, positivæ additam, denuo typis excudi curabimus, illam etiam singularibus post hæc lectionibus illustraturi, pro captu auditorum, in usum juventutis nostræ in veri Christianismi studio informandæ.

Jam subjungemus, quæ hætenus tractaverimus, quæ *ὄν* *ἐστὶν* tractaturi simus: A. MATTHÆO videlicet ad MARCUM, * * a prolixissimo Scriptore Evangelico pergimus ad Evangelicæ Historiæ Breviatorem, non quod sit Breviator ipsius Matthæi, ceu illum vocat AUGUSTINUS, sed quod brevissimis omnium, Spiritu Sancto dictante, Historiam Jesu Christi designarit, de monstrante B. SANDHAGENIO Epistola singulari, quæ prima est Decadis primæ epistolarum Theologicarum, tractandum explicandumque modo, ultimo programme A. C. MDCCCXXIV. D. XIV. a Festo SS. Trinitatis, designato:

Scilicet ut, analysi generali præmissa, item speciali per singula capita analysi Theologica, καὶ ἀναλογίαν velut, expediamus Philologico-exegeticam sensus investigationem, ac tandem porismata theoretico-practica extrahamus & ad usum dirigamus.

Augustinæ Confessioni, cujus iterum thesin, antithesin, praxin, catechetico examine mox repetitam, luculenter demonstravimus, in vicem Compendiū seu σύντομον Theologiæ Biblicæ surrogavimus, e XII. dictis Novi Testamenti classicis per præcipuos Locos & Articulos Theologiæ Christianæ ita deductam, ut prævia exegesi thesin cum antithesi ac praxin breviter ac sufficienter demonstramus, ad finem ferme perductam:

ductam: qua plene finita, præter Theologiam moralem jam jam promissam, Summam universæ sacrae Scripturæ per singulos Libros veteris & novi Instrumenti ostendemus, usui futuram Catechesibus Biblicis publicis, hora X. per singulos dies Lunæ C. D. ex præscripto Regio habitis habendisque. Quibus absolutis, cum Historiam Prophetarum ante bien- nium singularibus prælectionibus enarraverimus; (Lecti- onem quippe Januariam in Matth. I, 21. Passionalem in I. ad Corinth. II, 2. aliasque hic non memoramus) JUVANTE CHRISTO, prælectiones in Historiam sacram & ecclesiasticam Novi Testamenti, quarum usus peculiari Program- mate delineabitur, jungemus. Omnia hæc non ad pom- pam, sed ad usum instruentur.

Studiofis Theologiæ & Ministerii Ecclesiastici Scho- lasticique Candidatis, ut denuo, quantum ad me attinet, satis- fiat Constitutionis Regiæ §. XII. die 30. Sept. 1718. publica- tæ, offero manu ductionem de studiis Academicis repeten- dis, augendis, ad praxin dirigendis. Quibus singulis DE- US Optimus Maximus cœlitus suam adfundat Gratiam!

P. P. Stendaliæ D. VII. post Festum SS. Trinitatis.

A. O. R. CIO IO CCXXVII.

* * De MARCO ejusque Evangelio & cæteris memorabilibus, huc referendis, EUSEBIUS H. E. L. II. C. XV. XVI. ATHANASIUS Tr. de Libris Scripturæ, HIERONYMUS Catalog. Scriptorum Ecclesiasticorum Ed. Cypri. C. II. X. p. 30. M. Walther. Officin. Bibl. p. 1059. R. SIMON Hist. Crit. N. T. J. H. MAJUS Exam. Hist. Crit. N. T. SIMON II C. X. & XI. J. LEUSDEN Philol. Hebræo - Græc. General. Differt. XII. X. J. H. HEI- DEGGERUS Ench. Bibl. L. III. C. III. J. G. PRITIUS Intro- duct. in Lectionem N. T. C. XIII. J. M. FLORINUS Exerc. Hist. Philol. Fasciculo &c. de Vitis IV. Evangelistarum. p. 35. seqq. J. H. KITTELMANN de Evangelistis &c. p. 14. seqq.

De

De Stylo ejus S. GLASSIUS Philol. S. L. I. Tr. IV. Sect. II. Can. I. n. II. nec Latino, sed Græco idiomate ipsum scripsisse, MAJUS, HEIDEGGERUS, SIMON, locis citatis, satis evincunt.

Num fuerit idem cum JOANNE MARCO, Vid. RAUPP. Comment. Synopt. Proleg. n. II. HEIDEGGERUS l. c. alii.

De initio Evangelii MARCI C. I. 1. Observandum, hæc verba non esse censenda pro Titulo Historiæ de JESU CHRISTO a MARCO scripto consignatæ, ut celeberr. D. J. H. HEIDEGGERUS Ench. Bibl. L. III. C. II. n. 1. scribit, sed intelligenda de initio seu principio Oeconomix N. Testamenti, quo Evangelium, καὶ ἐξοχὴν dictum, prædicare cœpit JOHANNES Baptista, ut ex seqq. versibus facile constat, qui vaticinia de Præcursoris Christi Persona & munere ex MALACHIA. v. 2. & JESAIA v. 3. præmittunt, ac eorum in JOANNE complementum demonstrant, v. 4. seqq. idem observantibus RAUPPIO ad h. l. & MAJO Oeconomix Temporum N. T. C. II. §. 1. conf. THEOPHYLACT. & J. COCCEJI Scholia h. l.

Error Commentatorum & Scriptorum devitandus, qui putant, Ordinem MARCUM, nec non reliquos Scriptores Evangelicos, non observasse; qui jam plena in luce positus, Harmoniam ostendentibus singulorum Chronicam, A. OSIANDRUM secutis, in primis CALOVIO, SANDHAGENIO, B. a KANSTEIN.

Analysis MARCI proprio studio confici potest ac debet, ut publice monstrabimus; & Commentatores id præstiterunt: WINCKELMANNUS, DORSCHKEUS, OLEARIUS, PISCATOR, LAURENTIUS, accurate etiam, ut in omnium Librorum sacrorum Analysis, eam persequitur RAUPPIUS; Generalem vero exhibent PAPPUS, PFLACHERUS, HIMMELIUS, RECHTENBACHIUS, HEIDEGGERUS. De quibus singulis, & aliis, in Præliminari Lectione pluribus agetur.



X3624737

1078

18

K